AD POTENTISSIMVM PHILIPPVM HISPANIARVM ET C. REGEM CATHOLICVM

Quicumque non solum veteres, verum etiam recentiores historias diligenter evolverit, nullum Imperium in unica, singularq; familia duratus quam in Austriaca tua prestantissima, clarissimaque progenie. Magnanime, & Invictissime Rex, non dicam conservatum, sed auctum, propagatumq; fuisse unquam comperiet: cuius perpetue legitimeq; dominationis que ferres fuerit, quoq; pacto florentissima Regna complura, masculâ prole destituta, hereditario iure, materno videlicet sanguine suffragante, in Heroicam hanc Austriacorum familiam concesserint: Divus Maximilianus Cæsar, pater tuus, statura, formaq; nobilissimus expressum posteritati, testamentq; reliquit. Quod quidem preclaru Cæsaris institutu nos typis nunc hisce nostris quantu nostra fert humilitas, imitari conamur: ut Austriacorum Principum amplitudo, magnitudo, probitas, eorumq; numerus, eximiq; virtutes in ortum orbem terrarum longe, lateq; diffundantur. Quemadmodu enim maiores tui Christianam pietatem singulari semper studio amantes protexerunt, sic te turbulentissimis temporibus, multo etiam nunc magis, maiores nempe urgente necessitate eandem operam, idemq; auxilium Christiane Reip. unaq; exigente daturum, aurea denuq; secula etate nostra redditurum, sibi omnes persuadent: haud aliter, quam Maximo Philippo, genitori tuo, qui ob singularem eudeiptam, morumque integritatem Boni cognomen est adeptus, accidisse fama est. Quod verum igitur, ex propter tuam pietatem, magnitudinem animi, bellicamq; virtutem, tum externa, tum domestica bella, felicter a te semper incepta, administrata, confectaq; sunt: adeo ut populi, qui diuina quadam sorte in tuam fidem, et clientelam recepti sunt, liberali nunc ebo, securaque libertate perfruantur. Quod quidem gaudium, ut absolutum, cumulatumq; reddatur, Deum supplices obsecramus, ut potentissimi Darbari Regis, qui armatus nunc Dalmatiæ, Italiæ, Pannoniæq; cladem ultimam minatur, opima spolia, insignia, trophea tibi, unquam Catholice Rex, Christianæq; Reip. defensori, atq; propugnatori referat: ut nos ea dein de typis nostris expressa, atq; delineata, sempiterne nominis tui memoriæ offerre, immortalitatiq; consecrare possimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Qui Fortunam in rebus humanis dominari putant, eos Ferdinandi Aragonij V. Catholici Regis perspicue refellit exemplum. Is dignitate forme excellens, ingenio prestans, mirifici animi, magni consilij, nullius denique laudis expers, que cadere in Principem potest, cedere fortunam virtuti, casum prudentiæ, temeritatem rationi, unus exemplo suo clarissime docuit. Hispaniarum Rex, uxoris suæ Isabellæ Henrici sororis, dotalicio nomine creatus, exclusa herede suppositicia Elisabetha, plerosq; nobiles, adverse partis studia secutos, crudelio & virtute ita fregit, ut, dum in Bætiæ religiosa expeditione Ecclesiæ stipendijs operam sit nauant, cum eos ab seditionis, rerumq; nouarum studio caute, ac prudenter auerteret, tum vero Maurorum, Saracenorumq; sæda colluuie pulsa, anno demum MCCCLXXX. postquam id Regnum tenuerant, famam immortalem, nomenq; ac titulum Catholici Regis primus gloriose reportaret. Vniuersam deinde Hispaniam Neapolitanumq; Regnum, Gallis eroptum, sue complexus imperio, eadem religiosi animi prestantia in Africam pia arma conuertit. Nec pretermittendum videtur id, quod ad eius sublimitatem, atq; adeo ad Christi gloriam, vel maxime pertinet, eos auspicijs nouum orbem, tot sæculis incognitum, alterum idolorum, non modo repertum, atque perdomitum esse, ueri item ab exitiose demonij cultu ad salutarem religionem, et ab agresti, immanique uita ad humanitatem & civilia instituta esse conversum, ex quo geminatam Catholici nominis gloriam, gemino orbe meritis immortalibus affecto, sententia bonorum omnium est assecutus.

Obijt anno salutis MCCCCCXVI. ætatis ... Joanne unica filia orbatus, Isabella filia Alphonso Philippi Joannis Lusitaniæ Regis primum, deinde Emanuele; Joanna Philippo Archiduci Austriæ; Maria post Isabellæ obitum eidem Emanuele; Catherina Arturo Britanniæ Regis filio, deinde Henrico eiusdem Arturi fratri Regis, in matrimonium collocatis, omnibus ex Isabella Hispaniæ Reginæ susceptis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Carolus Burgundius, cognomento Bellator, Princeps inuicta animi magnitudine, insigni specie corporis, opibus à Philippo patre relictis amplissimis, nisi e media rerum maximarum uersa acerba in suo finisset abreptus, plurium triumphorum gloriam, atque adeo Regnum decus domui Burgundiae haud dubie sua uirtute restituisset. Is ab adolescentia Alexandri Macedonis res gestas praecipue admiratus, ad exercitandam militaris disciplinae laudem ea tempestate, et animum adiecit, & omne studium contulit, addita ad fortitudinem humanitate, sic, ut uirtutes, specie dispares, miro tamen uel artificio, uel naturae munere coniungeret, nec minus a suis militibus diligeretur, quam metuerentur ab hostibus. Praelio illo, quod ad Merricii montem cum Ludouico Rege XI. commisit acerrimum, Duces pariter, ac milites officio praeclare fungens, deuictum Regem eo adegit, ut foederis, cum Philippo patre apud Arebates icti, capite, malitiosa fraude ad eam diem elusa exsequi omnino cogeretur. Sedis Apostolicae dignitatem rerum omnium antiquissimam habuit: Et omnes ad eam amplificandam curas, cogitationesq; suas contulit; probitatem, et clementiam ita coluit, ut omnibus suis victoriis poenam in eos capitalem constituerit, qui aut, murum, sexui summo inferrent: ipse continentiae obseruator, et custos, ita diligens, ut in illius uirtutibus haec fere primum sibi locum uindicet, cum praesertim semper fuerit difficilius, longeq; praestantius, in magna potestate sibi potius, quam alijs imperare, et, ut Princeps erat animi aperti, alienus ab omni fraude, ac dolo: ita iustitiae obseruantissimus liberalitatis, et beneficentiae laude, uel omnium princeps, uel certe nemini secundus. intrepidi animi constantia, omniq; suorum fiducia ad Nancetium, mortem illi praeproperam attulit: quem tamen ut optimi, ac sapientissimi Principis, ita serenus Dux insigni gloria posteritas omnis ornabit.

Obijt anno salutis CIↃ. CD. LXXVI. Aetat. XLIII. Maria, ∞ Elisa Borboniae nata, unica relicta herede: quae postea Duo Imperatori Maximiliano Austriaco nupsit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quis ad Philippum Valesium, Burgundionum Ducem, tot insignibus ornatum virtutibus, quot, et quantas ipsa prope non ignorat antiquitas, mentem, animumq; referens, talem, ac tantum Burgundiæ domus heroem non etiam atque etiam gratulatur? quis non optet cum omnibus in perpetuum Principibus usitatæ fortitudinis, liberalitatis, moderationis, atque clementiæ, ut hoc divinum exemplar proponi? Certe quod illius ceu Regis maximi Galliæ, Caroli vij. et Ludovici xi. Angliæ uxoris Eduardus Eboracensis unius Philippi fidei, sapientiæ, virtutis, ac tutelæ decus Regnum acceptum tulerint, quod eiusdem ope Eugenius Quartus a Synodo Basileensi Pontificatu motus, dignitatis pristinæ, illius debitæ integritati, atque innocentiæ sit restitutus. Quod idem, Catholicæ defendendæ, amplificandæq; Ecclesiæ studio velleris aurei equestrem ordinem, coaptatis nobilitate, virtute, rerum gestarum gloria claris viris, primus instituerit: Quod denique suas omnes fortunas, (quæ ad hereditatem paternam optime iure immensæ illi accesserant) omnemq; curam, et industriam eo contulerit, ut suo ductu Magni Constantini Sede recuperata, Barbaros a nostra Religione abhorrentes, suum Christi iugo subderet. Pij nomen iure est adeptus. Quod vero septem cum hoste collatis signis victoriam retulerit, Quodq; a filio suo Carolo potentissimum Galliæ Regem ad Herculis mentem castris exsutum, in fugam conjectum viderit, et in eo domestiæ virtutis, et gloriæ perpetuitatem apparuerit, meritò felicem, et ea bonis, quæ possunt in hac humana vita curriculo summa contingere, cumulatum existimare debemus.

Obijt Brugis Flandriæ, maxime mærore suarum Provinciarum, quas opulentissimas reliquerat anno Salutis M.CCC.LXVII. Ætatis LXXI. relicto unico herede Carolo ex Isabella tertia uxore, filia Joannis Regis Lusitaniæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hoc ipse armorum ornatu, hac proceri corporis maiestate Hierosolymis egregia, et ad ueram similitudinem expressa spectatur effigies inclyti illius Heroïs Godefridi Billionei, Lotharingi, Sacrosanctæ Sepulchri assertoris. Qui communi cum Austrasiæ Principibus stipe edita, cum in Germania, Italiaq; seditiosis motibus comprimendis Henrico Quarto Imperatore multa gessisset, Rudolfi Socii, Imperij æmuli, præcisa in conflictu dextera; mox suorum Pontificis Vrbani oratione in Concilio Clarimontano permotus, rubraque Cruce ab eodem insignitus, Mediomatricum urbis Principatu ambos, Arcis Billioneæ Ducatu Episcopo Leodiensi uendito, omnem pecuniam in Sacri belli apparatum contulit, fratribus Balduino, et Eustachio sibi adiunctis, alijs præterea quamplurimis magni nominis Principibus Christianis uera, ac solida gloriæ, æternæq; salutis amore incensis, in societatem belli sponte accumbens cum trecentorum millium peditum, centum millium equitum uoluntaria manu expeditionem illam in Palæstinam, post homines natos maxime memorabilem, suscepit: Vrbemq; Hierosolyma expugnata primus illam per murum uicter est ingressus. Et ut nomini, quod ei lustricus dies patrio idiomate à Dei pace non inani futurorum præsagio imposuit, responderet, in primis operam dedit, ut pax uera, quæ in agnitione filij Dei consistit, annis plus minus 90. illinc exsulans, uelutì post limina reduceretur, Ecclesijs Verbi, Sacramentorumq; lucè restitutis. Ad hæc beneficium, quo prestantius esse nullum poterat, accessit alterum, ut itinera pijs Europæis ad Sacrum Redemptoris Sepulcrum religiosa peregrinatione ueneantibus patefierent, quod armis, et ope diuina perfecit. Machometicis dogmatis delirijs profligatis, Turcisq; ex anteriori Asia procul ad Pontum Euxinum, Saracenis uero intra Ægypti limites conclusis. Quam victoriam pietas, et humilitas illustrauit. Rex enim Hierosolymorum creatus, nunquam tamen adduci potuit, ut, in qua urbe Christus Spinea redimitus genus humanum ab æterna morte redemisset, in ea sibi auream auream imponi pateretur, quo laude, cum alijs omnes laudibus omnes uicisset uincere seipsum uisus est.

Obijt XV. Kal. Aug. A. C. 1099. Græciæq; cum uicta plagorum, cum tantum regnasset annum, humanatus ad monem Calaure in uestibulo Ecclesiæ Golgothanæ, monumento illi ex Pario erecto. Balduino fratre, et uirtutis, et Regni relicto successore.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ioannes Austriacus, Caroli V. Imp. post hominũ memoriam maximi, fortissimiq. F. à patre acceptam gloriam multis auget virtutibus. Is, antiquitate generis gloria maiorum, paternaq precipuè laude florens, minimum tamẽ in ψ, plurimum in virtute presidij, et ornamenti sibi statuit. omnium sentiens. Nobilitatem, tamquam lumen esse, quod ut preclare gestis, ita et contra lumen præferat. nobilium enim facta, ut excelsiore loco sint, ita præ ceteris illustriora esse debere. a primis igitur annis laboribus, periculisq; assuetus, et strenuus cuanit imperator, et à fortuna felicitatem acceptam, quam plurimum posse in rebus gerendis, quis dubitet? cum virtute consuuxit, ut à tanto iuuene ea merito sperande sint, que principyi non modo respondeant, sed eam quoque nobis ad tranquillitatem viam seruant, quam frustra tamdiu ab omnibus quæsitam nemo reperit. Dux terra mariq summus, quid consilium posset, quid virtus, docuit: Mauros, Philippo fratri aduersantes, domuit. Turcas, excitium universo Christiano generi minitantes, nauali prœlio, omniũ gloriosissimo, prostrauit. Que egregia facinora, et æternam nominis immortalitatem sibi peperit; et exemplum mortalibus, atq; posteris tradidit, posse eos quoque consilio, et virtute superari, qui se nullis viribus, nulla potentia frangi posse putant.

A. ∞ D LXXI

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf